Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Theodoricus respondit. Non sentio, quia dominus
mecum est. Julianus rursus iussit eum vexari.
Dixitque ad eum. Audivi te fisci esse debitorem,
et ideo mori desideras ne reddas quod debes.
Sacrifica ergo et noli vereri. Ego suggeram im
peratori, et omnia tibi donabuntur.
Theodoricus respondit. Argentum et aurum vestrum
vobiscum sit in perditionem. Ego nullius
sum debitor nisi soli deo cui puram exhibens
conscientiam, oro ut permissionibus suis me
copulare dignetur. Julianus dixit. Conver
tere ab stulticia, et lucrare animam tuam. The
odoricus respondit. Tu magis convertere
ad dominum vivum a quo recessisti, ut salves ani
mam tuam quam perdidisti. Iterum iussit eum vexa
ri. Dixitque ad eum. Infatuasti cor tuum, ma
gis obedire mortuo crucifixo quam regi.
Theodoricus respondit. Infelicissime, et te et
tyrannum tuum crucifixus quem dicis, in die
iudicii ut ipse optime nosti habet mit
tere in gehennam. Julianus dixit. Interim ego ig
ni te tradam, postea vero quod fuerit. Sicque iussit
duas lampades ardentes ei apponi lateribus.
Appositis vero lampadibus, elevans oculos
suos ad celum ait. Domine deus omnipotens qui fecisti
celum et terram et omnia que in eis sunt, salvator
mundi repromissam spem famulo tuo qui propter
nomen tuum hec patitur dare, et iniquis
ostende tuam virtutem, ut cognoscant omnes
quam gratiam timentibus te prestas, et tormenta de
negantibus te, ut glorificetur nomen tuum quod est
benedictum in secula. Et subito ceciderunt carni
fices in faciem suam cum lampadibus. II.

TURBATUS est vero factus Julianus cum
astantibus militibus iussit carnifi
ces elevari, dixitque ad eos. Appli
cate iterum lampades ei lateribus. At illi
responderunt. Alios iubeat nobilitas tua,
nos vero hoc facere non possumus, quia vidimus
quatuor angelos in veste candida astan
tes et loquentes cum eo, et ideo in faciem nostram
cecidimus. Iratus vero Julianus iussit eos in pe
lago mitti. Et cum ducerentur Theodoricus
dixit. Precedite fratres, superans inimicum sequar
vos ad dominum qui mihi palmam victorie dare
dignatus est. Julianus dixit. Quis est inimicus,
vel quis dabit victoriam? Theodoricus dixit.
Inimicus est diabolus qui per vos operatur,
victorie vero palmam dat dominus Ihesus Christus salva
tor mundi. Julianus dixit. Miserrime homi
num, quem omnes norunt ante trecentos an
nos plus minus ex muliere natum, tu crea
torem et remuneratorem dicis esse? Theodo
ricus respondit. Quamvis indignus sis ad au
diendum verbum dei propter astantes autem servos
dei ne me putes esse desperatum, audi quod admi
sisti. Deus qui fecit omnia per verbum suum miser
tus est humano generi, quos transgressus a fide
ydolis videbantur servire, mittens verbum
suum super virginem carnem suscepit humanam,
quia divinitas videri non poterat, et sic spon
te passus salutem quam amisisti dare nobis
dignatus est. Julianus dixit. Perseverantem te
video in argumentis verborum tuorum; audi me
et sacrifica ne gladio percuti te iubeam, quia tor
menta contempsisti. Theodoricus respondit. Ego
renunciavi diabolo patri tuo, oro autem ut
cursum consummem in conspectu domini, nec inve
niam gratiam ante tyrannum. Julianus dixit. Quan
ta vis dic, ego vero te non occidam. Theodoricus
respondit. Tu quidem Iuliane malis crucia
tibus in lecto tuo morieris. Nam tyrannus tu
us qui sperat in paganos victoriam facere,
non poterit vincere, sed ita occidetur, ut ne quis
cognoscat a quo fuerit interfectus, et nec in
terram Romanorum revertetur. Timens vero Julia
nus ne alia graviora diceret data sententia
gladio percuti precepit. Theodoricus dixit. Deo
meo gratias ago qui mihi tolerantie fidem dare
dignatus est. Cum autem fuisset percussus, et se
Iulianus recepisset, inquietam noctem habu
it. Alia vero die procedens ad palacium, et adorans
secundo imperatorem dixit. Quantus modus auri et
argenti inventus in ecclesia illa, atque tuis thes
auris fuerit ostensis racionis provideat tua
clementia. Nam et hoc cognosce quod iniquissimum
Theodoricum presbiterum quem propter ministeria ecclesie
inquirebas comprehensum, adhibitis tormen
tis gladio percuti iussi. Audiens vero hec Julia
nus imperator contra suum propositum esse factum, ex
clamavit dicens. Quod mihi erat contrarium hoc e
gisti, ego enim multis argumentis legem Galile
orum conabar destruere, ut neque sibi facta
aliquem eorum interficere, tu vero male fecisti. Dedis
ti enim occasionem Galileis, ut multa adver
sum me conscriberent. Sic de predecessoribus meis fece
runt qui interfectos maleficos martires vocant.
Vide enim ut neminem eorum occidas, et aliis
manda ne faciant. Videns hec imperator
quia confusus et velut mortuus factus est Iu
lianus, volens eum animare dixit ei. Nunc
euntes sacrificemus diis, ut aspersus sacrifici
is sanus efficiaris. Euntibus vero eis, cor Iuliani
erat tristicia repletum. Offerentibus vero sacerdo
tibus ydolorum volatilia et alia multa, exta
hentes se de igne, obtulerunt Iuliano imperatori.
Et cum manducasset, dedit avunculo suo Iu
liano. Ille autem verecundia faciente vel timore